

**USR EMILIA-ROMAGNA – CUSL (CONSULTA UNIVERSITARIA DI STUDI LATINI)**  
**CERTIFICAZIONE DELLE COMPETENZE IN LINGUA LATINA 2023**

**Test B2-seconda parte (traduzione)**  
**Tradurre la sezione in corsivo**  
**Svolgimento in 60 minuti**

**Summarium**

Antequam adversus Dareum Persarum regem pugnaret, Alexander in praetorio dormiebat. Milites mirabantur quod imperator eos nondum convocavisset et eum timore captum in praetorio manere putabant. Parmenioni duci, qui in praetorium intraverat et eum e somno excitaverat, Alexander se somnum quietum cepisse dixit quia per aciem bellum confecturus erat. Itaque imperavit ut proelii signum daretur.

1	Iamque luce orta duces ad accipienda imperia convenerant, insolito circa praetorium silentio attoniti: quippe alias accersere ipsos et interdum morantes castigare adsueverat. Tunc ne ultimo quidem rerum discrimine excitatum esse mirabantur et non somno quiescere, sed pavore marcere credebant. Non tamen quisquam ex custodibus corporis intrare tabernaculum audebat. <i>Et iam tempus instabat, nec miles, iniussu ducis, aut arma capere poterat aut in ordines ire. Diu Parmenio cunctatus, cibum ut caperent, ipse pronuntiat. Iamque exire necesse erat: tunc demum intrat tabernaculum saepiusque nomine conpellatum, cum voce non posset, tactu excitavit.</i> “ <i>Multa lux,</i> ” inquit, “ <i>est: instructam aciem hostis admovit, tuus miles adhuc inermis expectat imperium. Ubi est vigor ille animi tui? Nempe excitare vigiles soles.</i> ” Ad haec Alexander: “ <i>Credisne me prius somnum capere potuisse, quam exonerarem animum sollicitudine, quae quietem morabatur?</i> ” signumque pugnae tuba dari iussit.
2	<i>Et cum in eadem admiratione Parmenio perseveraret, quod solutum se curis somnum cepisse dixisset: “Minime,” inquit, “mirum est: ego enim, cum Dareus terram ureret, vicos exscinderet, alimenta corrumperet, potens mei non eram: nunc vero quid metuam, cum acie decernere paret? Hercule, votum meum implevit. Sed huius consilii postea quoque ratio reddetur: vos ite ad copias, quibus quisque praeest, ego iam adero et, quid fieri velim, exponam”.</i>
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	